C.S. SCHURZFLEISCHI DISPUTATIONES HISTORICAE CIVILES, COLLECTAE, ET VNO...

Konrad Samuel Schurtzfleisch,
Johann Christoph Prebis

Digitized by Google

I.

Diſſeram de Belli Iure, qvatenus ad fana pertinet et ſepulchra. Verſaborqve in hoc negotio ita, ut ſumma ſolum illius capita attingam.

II. Eſſet vero vel in anteceſſum de origine bellorum cum cura qvadam atqve diligentia agendum, niſi iamdudum alii ſuſcepiſſent huius argumenti dignitatem. Sufficerit mihi, oſtendiſſe, bello non refragari naturae ius, nec praecipere tamen qvicqvam de eo. Siſtitur intra conceſſionis fines: Praecepti nec vis, nec veſtigium apparet. Eſt ſane dictatum naturae iuris, inſitum omnibus, et omnium ſenſu atqve confeſſione firmatum, de ſuo cuiqve tribuendo. Si non tribuatur, ſuppetit tribunal rectae rationis. In hoc iudicatur de iuſto, in hoc tribuitur, qvod tribuendum eſt.

III. Haec itaqve decidendi ratio iuri naturae, qvatenus per ſe ſumpto, nota atqve animis ipſis inſcripta. De cruentis certaminibus, nihil illi cognitum, nihil perſpectum. Acqvieſcit hic, contentum, rationis iudicio diſceptaſſe. De reliquis nil diſponit, aut praecipit. Neqve tamen officit iuri, tantum abeſt, ut evertat ius ipſum. Satis hic et ad iuris laudem, et ad iuſtitiae exemplum eſt, ſi non repugnet ſanctum illud naturae ius, imo ſi de eo qvod agitur perperam, informatum, aſſentiatur qvoqve et ſuggerat vindicandi iuſti rationes. Eſto qvis: et eſto forte Claſſicus: eripiat alii, qvod ſuum eſt: deliteſcat ſub ſpecie iuris. Oſtendatur in iudicio rationali fucus, detrahatur larva: decidatur lis pro merito atqve ex dignitate cauſae. Sed elabi Claſſicus velit, qvaeſito hinc inde praetextu elabendi. Interpelletur ſerio, moneatur ſemel iterumqve, et id ſerio qvidem atqve graviter, reddat reſtituat erepta. Primo tergiverſetur, mox recuſet plane atqve detrectet. Satisfaciendum certe prae-

cepto

cepto iuris naturalis eſt de ſuo cuiqve tribuendo. Et nolit ille tribuere, nolit eſſe audiens dictato huius iuris. Referatur ad tribunal naturae iuris. Hoc ita conformatum, concedet bellum, neqve reiiciet hanc viam repetendi eius, qvod iniuſte eſt ablatum. Nullum enim aliud remedium ſupereſt recuperandi eius, qvod ereptum. Intelligitur ex eo facile remedium hoc recuperandi extraordinarium eſſe, eoqve non prius adhibendum, qvam omnibus modis monitisqve ad pacem connixi fuerimus, nec aliud niſi hoc reſtaurandi noſtri iuris inſtrumentum ſuppetat.

IV. Ceteroqvin arduum Imperii Civilis nomen, ac tanto excelſius, qvanto maius, verſari circa ſacra, qvibus Dei honor continetur. Eſt ſane Princeps Numen qvoddam mortale, et Dei vice res terrenas iuxta et divinas curat dirigitqve. Age ergo, qvod Deus vult, et qvod agendum interpretatus ipſe eſt.

V. Atqve id adeo argumento eſt ſummam illam, qvam obtinent Principes, poteſtatem, non obtinere ab alio qvam a Deo, eamqve nullo interiecto ab eodem, id eſt, cœleſti illo fonte derivari. Ganniat et garriat qvorundam temeritas: nil moramur. Exploſa iam olim Pontificii dominatus ſententia eſt. Vtinam vero malum ſtatim intra ſua primordia extinctum fuiſſet. Noto hic Sec. IIX. et XI. in quorum altero Gregorius III. Zacharias et Stephanus, altero Gregorius VII. Reges ſibi atqve Imperatores in tantum obnoxios eſſe voluerunt, ut aut exauctorarent, aut interdicerent communione ſacrorum. Qvo conf. Martin. Polon. Chron. A 738. Ann. Pith. An. 752. Otto Friſingenſis L. 5. c. 23. Gottfrid. Viterb. Chron. part. 17. De Bonifacii IIX. conatu nil addo. Iam diu notavit Thuanus Hiſt. lib. 114. Ann. 1595.

VI. Sed redeundum ad incepta, et videndum de eo, cui competat ius belli, et qvam late idem pateat. Ac illud qvidem nemini vindicandum, niſi habenti ſummam poteſtatem, ſive eam unus habeat, ut Reges, ſive pauci, ut Optimates, ſive omnes, ut Populus.

VII. Ceterum iſta poteſtas vel eſt ſimpliciter ſumma, vel ſummam imitatione qvadam repraeſentat, eoqve analoga vocatur, et mentione territorii definitur. Haec aut reſpicit Principes ſigillatim, aut univerſe conſideratos. Hoc pacto ius belli ſine dubio habent univerſi, qvatenus univerſi: qvatenus ſinguli, non habent. Si haberent, non eſſet Civile corpus, ſed gentium inde ſocietas redundaret. Habent tamen belli ad defenſionem comparati ius, habent reſiſtendi poteſtatem, cum violantur ipſorum iura, cum privilegia tolluntur.

IIX. A iure belli pergimus ad ius dirigendi ſacra, qvod publica Imperii Legum auctoritate a territorii poteſtate dependet, idqve eo valet, ut recte intelligatur, ex qvo fonte derivetur poteſtas circa mutanda, inſtaurandave ſacra. Eſto Eccleſiae Patronus, habeat poteſtatem ſtatuendi de plurimis rebus: non tamen continuo audebit vindicare ius mutandi ſacra, nedum abolendi. Cauſa oſtenditur facile, ſi oſtenditur indoles ac vis nativa poteſtatis in territorium competentis. Qva qvi gaudent (gaudent autem ſinguli ordines) iure diſponendi circa ſacra fraudari non poſſunt, niſi forte pacto, aut lege diſponendi illa libertas fuerit circunſcripta. Sed hic Nobiles, qvi Imperatori et Imperio tantum obnoxii ſunt, excipias merito. Aſſerunt enim ſibi ius dirigendi ſacra, confirmant publicae tabulae. Vindicant adeo ſibi in hac parte, qvod Imperii Ordines. Et Ordinum tamen dignitate carent. An poteſtate, qva territorium comprehenditur, una careant, non perinde eſt liqvidum. Alii abrogant poteſtatem territorii iure competentem, alii concedunt. Nobis ſufficiat, monuiſſe, ius diſponendi circa ſacra iis ſaltem convenire privilegii iure, ſi vel maxime non conveniat habita territorii ratione. Verba ſanctionis Auguſtae manifeſta ſunt: *Libera et immediata Imperii Nobilitas, omniaqve et ſingula eius membra, vigore pacis religioſae, et praeſentis conventionis in iuribus religionem concernentibus, et beneficiis inde promanantibus idem ius habeant, qvod Electoribus, Principibus et Statibus competit.* Dabo formulam, et dabo ſimul iurisdictionis ipſorum argumentum. Nomen

vulgo

vulgo notum, et hic non omittendum. Die freye Adeliche Obrigkeit. Nomen dicam an auctoramentum qvoddam poteſtatis in ditiones competentis. Certe illo ipſo continetur eorum dignitas, ac diſtingvitur.

IX. Latius diffundendum eſt, qvod auſpicati ſumus. Finitur limitibus ſuis regimen ſacrorum. Hos non egreditur, neqve profertur ultra. Tribuitur Principi, ex cauſa Imperii Civilis. Sed an hoc copulari cum ſacerdotio poſſit, digna ſtylo et cura ſapientum qvaeſtio eſt. Libare aliqvid iuvat. Cetera aliis relinqvemus. Eſto Bruno: Praeſulis munus gerat: impertiatur ei Principis iura, qvi ius impertiendi habet. Praeſul idem et Princeps erit. Regimen Civile atqve Eccleſiaſticum ipſe ſuſtinebit. Sed iure ſuſtineat, an ſecus, valde eſt controverſum. Ordiamur a naturae iure. Hoc ſicut in hac cauſa nil diſponit, ita nil prohibet. Satis habet dictare, Deum pietate, principem obſeqvio colendum eſſe. De adminiſtratione utriusqve officii, ſacri et civilis, nil praecipit, nil definit. Concedit ergo, qvantum in ſe eſt, neqve turpe interpretatur, eundem Imperio et ſacerdotio fungi. Gentium conſenſus eo minus dubitare nos ſinit, qvod culti barbariqve populi ſacrorum Praefectos rebus Civilibus impoſuisſent. Recito Germanorum vetuſtisſimos ſacerdotes, Civili Officio perfunctos. Silentium, inqvit Tacitus, per ſacerdotes, qvibus tum et coercendi ius eſt, imperatur. Apud Romanos Pontifices non modo religionis praeluxerunt exemplo, ſed etiam cum Imperio fuerunt. Laudatus ille mos Ciceroni eſt, dum arbitratur, nil praeclarius inventum atqve inſtitutum eſſe, qvam qvod Pontifices iidem et religionibus, et ſummae Reip. praeesſent, Orat. pro domo ſua ad Pontif. Nemo etiam ignorat, antiqvisſimo Qviritium more Pontificibus Ius Civile perſpectisſimum fuiſſe. Praeter Ciceronem conf. Valerius M. poſt hunc Barnabas Briſſonius Select. Ant. Lib. 20. c. 20. Neqve tantum Romanis haec indita perſvaſio fuit, ſed latius ivit illa conſvetudo, et maxime imbuit Orientalium mentes. Refero in exemplum AEgyptios, praeterea Graecos, inprimis Athenienſes: hinc Cappado-

padoces, aliosqve, qvibus nil magis honeſtum, qvam Sacerdotium et regimen ſociari. Sed inſtruamus hanc operam exemplo ſanctae gentis. Videbimus Iudaeos, unde vel primum, auſpicari oportuit, hunc ſervaſſe morem. Saepe eosdem et tenuiſſe Remp. et adminiſtraſſe ſacra. Revertor ad Romanos, appello Auguſtum Romanorum Imperatorem. Is Pontificatum Imperio iunxit, exemplo ad ſucceſſores transmiſſo. Kirchmannus lib. 3. c. 25. de Fun. Rom. Nota inſcriptio, et veterum tabulis inſerta Caeſar Divi F. Imp. Pont III. Vir. R P. C. vid. Ad. Occo in Aug. Mittamus extera, ac ad domeſtica perveniamus. Fato qvodam Germanicarum rerum primus omnium Bruno, Heinrici Aucupis filius, Pontificis idem ac Ducis officium geſſit. Coloniae Archiepiſcopus et Lotharingiae Prorex fuit. Huius rei teſtes graviſſimi ſunt VVittechindus Corbeienſis Annal. 1. Frodoardus in Chronico, AEmilius VeronenſisHiſt Franc. lib. 3. Auctor Chronici Laurishemenſis. His initiis ſtetit proceſſitqve conſvetudo iſta ad noſtrum usqve aevum. Contra, qvam tempore Carolingorum receptum fuerat, qvo ſacra et ſeculi negotia diverſa plane ac ſuis diſparata officiis fuerunt. Hinc ſeculo IX. Anſegiſus produxit conſtitutionem Caroli M. et filii eius Ludovici Pii, qva Epiſcopis dignitate ſacra interdicitur, qvi¦res ſeculi curarent. Verba egregia ſunt et digna, qvae aſcribantur. *Siqvis Epiſcopus Presbyter, aut Diaconus, vel Subdiaconus ad bellum proceſſerit, et arma bellica indutus fuerit ad belligerandum, ab omni officio deponatur in tantum, ut nec laicam communionem habeat.* Sed proximo ſtatim ſeculo ab illa conſtitutione diſceſſum eſt Sacerdotium cum regimine copulatum, eidem Antiſtitis Principisqve munus conceſſum. Nec multo poſt late diffuſum exemplum, et ad poſteros usqve continuatum, ac tanto amplificatum magis, qvanto ſuum Roma extulerat caput. Sed iam diu ante Leo Imp. Nov constit 68. συνεῖδον, inqvit, ὡς τοὺς ἀνακειμένους περὶ θείαν λειτουργίαν δεῖ τῶν ἔξωθεν ϗ περισπασμῶν ἀπηλλάχθαι. Idem proviſum prohibitumqve accepimus a Concilio Epheſino. Addatur Codex Can. Eccl. univ. ex rec. Chriſtoph. Iuſtelli, nuper a G. T. Meiero editus: eoqve inpri-

inprimis conf. celeb. Ziegler. in egreg. animadv. ad Lancellot. l. 1. tit. 12. Non attinet plura afferre, cum ſatis iam conſtet de gentium conſenſu.

X. Accepimus, qvid liceat per ius innatum et fas populorum. Nunc tranſimus ad tramitem conſtituti iuris, praeſertim illius, qvod Deum auctorem habet. Atqve hic duo ob oculos ſunt ponenda: unum eſt poteſtas Dei, alterum libertas eius. Illa res mortalium univerſas complectitur et regit ſuſtinetqve. Hac pro nutu diſponit, figit leges et refigit, promulgat idem abrogatqve. Adeo familiare Sanctisſimo Numini eſt, iam concedere, ut qvid fiat, iam prohibere, ne qvid fiat. Qvatenus, id qvod ita concedit prohibetqve, ex numero eorum eſt, qvae concedi prohiberive per naturae ſuae indolem poſſunt, ac adeo ſubiacent imperio voluntatis, neqve vero ſic repugnant, ut libere de iis posſit conſtitui atqve diſponi. Malignitas eſt, non ſeqvi arbitrium ſummi Legislatoris. Nos imitabimur prout voluit Deus. Voluit autem ſaepe et concesſit in foedere antiqvo, unum eundemqve diverſis officiis fungi. In Novo prohibuit, qvominus qvis utroqve munere, id eſt, ſacro profanoqve fungatur. Deſiit adeo Leviticum illud aevum. Imperium atqve ſacerdotium res ſua natura diſſociabiles, et nullo adeo conſortio miſcendae. Hoc ſanxit Chriſtus, hoc Doctores gentium Apoſtoli approbarunt. Vt maxime igitur a iuſtitia naturali et gentium conſenſu non recedat illud ſacri profaniqve officii copulandi inſtitutum, recedit tamen a iure divino per tabulas novi foederis conſtituto, recedit a pietate, qvam Chriſto Legislatori debemus. Dabo ergo, non eſſe contraria officia, Eccleſiaſticum et Civile. Dabo, ſtatum utrumqve arctisſimae ſocietatis eſſe capacem. Non tamen concedam, poſt latam a Chriſto legem, eundem ſummae rerum et ſacro officio praeeſſe poſſe. Non qvod officia per naturam contraria ſint, ſed qvia ſic dixit, ſic voluit, ſic ordinavit Deus, qvi ſeqvendi obediendiqve neceſſitatem omnibus hominibus, iure divinae poteſtatis, qva omnia complectitur, imponit. Atqve inde iam colligamus, haec officia ſic ſuis finibus diſcreta eſſe, ut

con-

conciliari in uno homine non poſſint, ſiqve unum eorum retineatur, alterum neceſſario relinqvendum fore. Sed confragoſa hic via eſt. Videamus, ne in lubrico ambulemus. Premit a tergo Pontificis caligo. Sed tenebras has expedivit magni nominis Theologus Balth. Meiſnerus Phil. Sobr. Sect. 2. q. pol. 2. Saltem addimus, reſpectu Eccleſiae duplicem aſſignari poteſtatem; unam exterius verſari, et dirigendo occupari, alteram diffundi ad interiora eius, ac competere notione interpretandi verbi ſacratioris, ac diſpenſandorum adeo Dei myſteriorum. Priorem eamqve ſolam vindicamus Imperio Civili, naturae ac gentium, et divinitus conſtituto iure. Legis naturae ſane praeceptum eſt, obedire Deo, et propter Deum ſummae poteſtati. Gentium qvoqve omnium ſancta hactenus opinio fuit, regimen Maieſtatis contineri poteſtate ſuprema diſponendi res omnes ſocietatis Civilis ambitu comprehenſas: Sacras, an profanas, nil intereſt. A natura enim Imperii qvaſi fonte manat iurisdictio in Rempubl. iuxta atqve Eccleſiam. Eccleſiam dico, qvod haec Reipubl. qvaſi fulcimento ſuo innitatur. Divinae leges ſic clarae ſunt atqve evidentes, ut vel ſolum Nutritii nomen ſummis Magiſtratibus a Deo ipſomet aſcriptum, argumento ſit huius rei. Perſignificanter id ſanctiſſimo et Regiae ſtirpis Vati expreſſum vocabulo eſt, Eſ. XLIX. 23 Nec abludit interpretatio Thargumica. LXX. reddunt τεϑφοὶ, diſtinctione perconvenienti.

XI. Sed haec plenius diſqvirendi argumentum praebeant iis, qvorum curam excitat cura ſacrorum verborum.

XII. Aut fallit me animus, aut certe indicavi, qvo valeat ſusceptus hic labor. Sufficit meminiſſe, qvod diximus de Imperio circa Sacra. Nunc ex praeſcripto innati gentiumqve iuris reddere iuvat in praeſens, qvousqve liceat exercere Imperium circa ſacra, qvousqve etiam circa religioſa? Moliatur bellum Princeps ex iuſta cauſa. Oppugnet urbem in hoſtico occupetqve. Omnia ſolo aeqvet ſecuritatis finium gratia. Res plena diſceptationis, plena dubitationis eſt, utrum eadem opera, et certe eodem iure diruere aedes ſacras, evertere templa, demoliri fana, deſtruere delubra atqve ſimulacra liceat? An graſſari in ſepulchra

chra, an deiicere monumenta ſit conceſſum? Auſpicabimur a ſacris. Ius naturae in hac cauſa nil diſponit. Sinit diſponere homines, homines, inqvam, qvibus iure dominii data diſponendi poteſtas eſt. Fortius loqvar Sit templum oppugnaturo hoſti profuturum, contra nociturum caſtro, qvod defendere velimus. Ceſſabit reverentia ſacri ritus, dictabitqve aeqvitas et ipſa iuſtitia naturalis, perire illius loci venerationem. Nihil hic evidentius, quam non refragari ius naturae, et ſvadere inſuper, ſi informetur, qvid exterius agatur, imo dictare tandem, ſi non aliter noſtrum nobis conſervari retineriqve poſſit. De mero gentium iure nil vetat dicere idem et facere. Non vacat mihi eſſe prolixo. Dicam qvod res eſt. Aut contemnitur religio alterius ut hoſtis, aut locus religioni conſecratus extremam Reip. perniciem minatur: utroqve modo definit eſſe ſacrum, qvod hactenus fuit ſacrum. Eſto Carolus M. deſtruat fana Saxonum, ut Eresburgenſe qvidem olim deſtruxit: diruat ſtatuam Irmenſulae nomine dedicatam, ut revera diruit. Ann. Franc. 772. et Praeſes in eo Hiſt. VVittekind. M. §. 5. not. f. Nil religio impedire potuit, ut pro qva faciat veneratio religionis. At vero Carolus, ut Chriſtianus non habuit venerationem erga ſacra non-Chriſtianae gentis, qvalis per id tempus Saxonica noſtra erat. Pro veneratione contemptus erat, ex contemptu ratio oriebatur, qvae faceret pro iure belli in ſacra, ut facere ipſi liceret, qvo deſinerent eſſe ſacra. Nempe efficere poteſt iuſtus religionis contemptus, ut loca religioni conſecrata ceſſent eſſe ſacra, ceſſent habere ſacrorum venerationem. Neqve id fraudi eſt Divino honori, qvippe qvem animis metimur, ſi iuſtis pretiis metimur. Conſecrantur templa, ut Deo ſerviant, non Deus ipſis. Opera hominum ſunt, qvibus non includitur ſanctiſſimum Numen. Deſeri ergo iuxtaqve deſtrui poſſunt, ſi aut nulla ſervandorum ſpes affulget, aut ex ſervatis certiſſimum impendet Reip. damnum. Praeclare Zieglerus noſter pronunciat, conſecrationem uſu populi, qvaſi fundamento ſuo fulciri. *Sicubi igitur populus loco ſacro amplius uti non poſſit, ceſſare locum eſſe ſacrum, idqve ex tacita voluntate et voto populi conſecrantis: Not. ad Grot. L. 3. c. 5. §. 2.* Nempe ibi Dei delitiae ſunt, ubi mens in pietatem converſa, animusqve in Deum revolutus eſt. Inutile accerſere ex-

empla. Ipſi memoria tenemus, qvid actum ſit ſuperiori bello. Cuius rei tanto maius apud nos momentum, ſi iam tum ante excusſa veneratio eſt: ſi extinctus divinior uſus, ſi tecta, ſi parietes iam tum ad profanas operas compoſiti fuerint atqve comparati. Sit hoſtis: arma diſponat in templo muniatqve inſuper operibus, ac inde ſe et ſuos defendat. Credam, licere alii in templum, qvod hoſti licuit. Licere, dico, iure, qvod hoſtis utitur adverſus hoſtem. Fuerint olim Iudaei. Propugnaverint urbem ex templo. Nil dubitaverit Titus aggredi templum et expugnare, expugnatumqve poſtea vertere ad profanos uſus. Ac id qvidem omne ſalvo gentium, ſalvo belli iure. Neqve vero hic praeterire debemus, venire uſu poſſe, ut paria faciamus hoſti, neqve indulgeamus, ut impune ferat, qvod auſus eſt in noſtra templa. Fecerit damnum fanis, everterit ſimulachra. Non video cur nobis idem non poſſit licere, et ultionem iuſtisſima rependere ultione. Proferam Graecos. Deiecerint templa Perſarum, perniciem delubris attulerint: merito arbitrabuntur Perſae, idem facere ſibi integrum eſſe. Tametſi nolim disſimulare, Graecos ad reverentiam templorum primis temporibus ſic excultos fuiſſe, ut etiam, qvum maxime ferveret bellum, parcerent templis, abſtinerentqve a ſacris domiciliis manum. Nec abſunt tamen, qvi id inſtitutum magis a ratione utilitatis, qvam a veneratione profectum putent. Reddere huius rei argumenta non attinet. Satis qvippe manifeſtum, ſaepe temperatum eſſe templis, non tam veneratione templorum, aut amore rerum divinarum, qvam reſpectu utilitatis, et proferendae ſecurius dominationis. Vt mirer, cur accuſent Xerxen violati gentium iuris. Scilicet vaſtabat ſacras domos, ignem ſubiiciebat templis, nil deniqve relinqvebat intactum. Seu ferro, ſeu flammis ſaeviebat. Neqve id tantopere redarguendum fuerat. Qvae Graecis ſacra, ipſis profana erant. Dedignabatur venerari eorum templa, qvi more ſuae gentis extra templa operabatur ſacris, et publice colebat Solem. Iam exiſtimari poteſt, qvam ſine cauſa qvidam obvertant hic ſive religionis nomen, ſive conſecrationis ritum. Ducere nobis rivum liceat ex horum fontibus, qvi Grotio operantur. Illi duo aeſtimant, vel opinionem victoris, qva aut ſuſtinetur conſecratio, aut convel-

litur

litur: vel ſcopum eius, qvi curat, ut templa diruantur. Si ad Numinis contemptum faciat, ferendus non eſt. Exhorreſcit animus, cum Belſazaris recordor, cui oblectamentum erat, violare templi vaſa, et inſtruere inde ſuppellectilem ſibi atqve adornare ad profanos uſus Abſit a pio Principe impius iſte animus Nihil illi legem ponit, niſi ardua illa neceſsitas rerum et ſalus Reipubl. ſervandae. Deiicere igitur templa eousqve licet, donec deiiciendi ratio a neceſsitate ac ſubſidiis tuendi regiminis repraeſentatur. Horum ſi nihil adſit momentorum, adeo non valet in laudem iſte conatus, ut qvoqve incurrat crimen violatae pietatis. Sed explicatius loqvamur de templis. Fingam, Principem hic ex iuſta cauſa Principi Chriſtiano, ibi Principi barbaro et non Chriſtiano urbem ac templa eripere. Non uno modo pronunciandum erit in hac cauſa. Nam aut Princeps Chriſtianus eadem nobiſcum ſacra colit, aut diverſa habet, eaqve multis erroribus ac ſuperſtitionibus foedata. Non admittam, ſi Princeps Chriſtianus, Principi Chriſtiano et ſocio eiusdem religionis templum bello ereptum ſeculo donet ſine cauſa. Secus eſt, ſi neceſsitas ad id cogat, qvod ſine neceſsitate non erat facturus. Si Princeps vero barbarus ſit, et Chriſtiana religione non imbutus, urbi templisqve inferre pedem et eripere dedicata bona, ac vertere ad Chriſtianos uſus, ſiverit ius belli. Sed contingat, Chriſtianum diſsidere a Chriſtiano, ac disiungi adeo utrumqve diverſis ſacris. Expediendum, qvid liceat victoriae iure. Eſto gens ſtatuarum cultibus dedita, et plurimis naevis erroribusqve infecta: habeat templa ſuperſtitioſis abuſibus polluta: dicam iure belli eadem ratione in Civitatem et templa Imperium acqviri Ceterum non una aſſeram, acqviri ius diruendi templa, ſi non oſtendatur neceſſitas, qvae ad diruendum impellat. Inſolens enim et prorſus illiberale facinus, tunc templis non temperare, cum ratio non exhibetur, propter qvam temperari non debeat. Qvin adeo multo conſultius fuerit, parcere fanis et conniti interim atqve curare enixisſime, ut ſeparetur profanus uſus, et denuo excitetur verus Dei cultus, ineptiis humanis ac vanitati ne veſtigium relinqvatur Laudandi SAXONES noſtri qvi non abolere ſacra collegia, ſed reſtituere, ac reddere avito ſacro et Scholis amplificandis materiam dare, ac per has proferre Eccleſiam et am-

lificare benignisſime, novo renaſcentis noſtrae felicitatis auſpiio, ſunt aggresſi. Faceſſant itaqve A. Contzenius et P. Cutſemius licam ſcribere Divis Saxoniae Electoribus, ut qvi non deſtruxerint templa, ſed inſtauraverint, non aboleverint ſacra, ſed repurgaverint, non extinxerint reditus ſacros, ſed mutaverint meliori uſu, reduxerintqve adeo antiqvum cultum. Sed male habet iſtos homines, incidiſſe in ea tempora, qvibus ſegnitia odio, impietas qvoqve execrationi eſſet. Dolent, fremunt, indignantur amiſiſſe tot amplisſimos proventus, tot praediorum lautisſimos fructus, qvibus et paſcere oculos, et curare ventrem exqviſitisſime licebat. Scilicet frui bonis, nec mereri, his voluptas. Dare Deo nomen, et frigere interim in Dei cultu, ac pietatem oſtentare magis, qvam habere: omnia in ſpeciem comparare et fictum ſplendorem, adulti mores. Iactari religio, non exerceri: ſqvalere ſtudia pietatis, iacere literarum cultus, Dei Magiſtratusqve honos eodem periculo involvi, cuncta ruere in exitium videbantur. Nil usqvam recti, nil ſinceri. Omnia aut pravo de rebus divinis ſenſu, aut luxu otioqve foedabantur. Omne demum momentum in rebus ſeculi ponebatur, et qvaeſtu impiae nundinationis: nundinationis, dico, fortunarum omnium, ac divini humaniqve iuris. Iam fatis ſuis admovebatur IGNAVVM GENVS. Extrudendum erat, qvia non Deo, ſed Pontifici, ſed ventri, ſed ignaviae ſuperſtitionibusqve obſtinate addictum. Hoc Deus a Principibus, hoc Principes a ſacerdotibus exigebant: certe exigere debebant. Ingens inde ad Saxonas gloria et aeternum ad poſteros rei bene geſtae monumentum. Iniuria ergo eſt, non ſtylo, ſed ferro vindicanda, inſultare piisſimo cineri, vellicare religioſiſſimorum Principum manes, et comminiſci deniqve ineptisſimas ad obtrectandum artes. Nobis ex eo laetandi argumentum, unde vafris iſtis hominibus hactenus criminandi fuit.

XIII. Confeciſſe nos negotium hoc crederemus, ſi pauca qvaedam recitaſſemus de ſcopo, atqve inſtituto religioſorum collegiorum. Principio ad Dei honorem, erudiendamqve iuventutem, et propagandum adeo divinioris ſolertiae exemplum inſtituta fuerunt. Hinc deflexa in abuſus, a ſeqviori aevo traxerunt labem, optimis initiis ad pesſimum eventum converſis. Confluere eo pietatis

tatis obtentu multi, et conferre fortunas ſuas, ac donare luculentisſima praedia, atqve amplisſimas poſſesſiones. Suis aut nihil, aut non multum relinqvere. Toleranda libertas, niſi intermixta ſuperſtitioni, niſi immodica, niſi deniqve cum praeſentisſimo reipublicae exitio coniuncta fuiſſet. Atqvi vero ſumma iniqvitas, religionis praetextu atqve adeundae hereditatis coeleſtis ſpe imponere necesſitatem dandi, emungere cives, exhaurire Principes, avertere omnes ferme reditus ab aerario ad culinam ignavae ſocietatis. Prudentisſime nuper Senatus Venetus edixit, abſtinerent rebus ſeculi Patres, aut urbe exirent. Nil neqve ingenioſa mendicatione, neqve emptione poſthac pararent monaſteriis ſuis. Contenti eſſent partis, ſi retinere vellent, ſi ſecure frui. Feſtive qvoqve Altierius Purpuratus conſilia et intempeſtivas preces non ita pridem eluſit. Habent Romae privilegia immenſa. Nec tamen contenti his deſiderabant plura. Pulcher impetrandi titulus, lautisſima parata coena eſt. Sed excuſare ſe purpuratus, et cauſari occupationes, opportune ſe in palatio continere, iamqve tacite exprobrare ingenium habendi nimis cupidum, et nunqvam deſinens petendi. Adeo illud genus hominum non principibus modo, ſed ipſi etiam Pontifici grave eſt qvandoqve et moleſtum. Qvid diceret Auguſtus noſter, ſi dicere ex animo, ſi iuſtam expedire ſeveritatem vellet? Ingemiſco hic ſeculis antiqvis. Nil recuſabant, nil tergiverſabantur, cum dandum eſſet Monachis. Fundi, praedia petentium praemia erant. Allego hic veteres Burgaradios, Hadaburgios, Freibrathios, Leidratios, Rohingios, Engilbertos, Vuldarnios, Helpfratios, Gunderos, Mattones, Svoliſtas, VValachfridos, et vel mille alios, qvos legi in ſchedis monaſteriorum, et Chronicis antiqvis, ex ſola ſuperſtitionis cauſâ ad largiendum inductos. Indignae hae monachis fraudes, et daturae principibus occaſionem ſive retractandi conceſſa, ſive ſeparandi abuſus. Exemplum inter exempla erit Chronicon Fuldenſe, plenum ſuperſtitioſarum talium donationum.

XIV. Haec atqve talia veteris aevi iam expendenti ſuccurrit, Pontificios ipſos ſaepe ex hac cauſa ad iuſtam iram fuiſſe accenſos Non repetam qverelas Marſilii Patavini. Nec recenſebo de Ordine

ſemplariorum everſo. Vbiqve indicia ſunt et clarisſima argumenta corruptisſimae ſocietatis. Novisſime Clemens IX. demonſtravit exemplo, in communi Chriſtianorum calamitate intercipi qvandoqve monaſteriorum reditus poſſe, et ſervari ad principis reiqve publicae ſalutem, reddendos, ſi princeps redierit ad ſeipſum ſi collegerit vires, et res in deterius lapſas refecerit. Sed videat Princeps, non recte adhiberi, notet gravisſimos abuſus: habet ut inſiſtat Divi noſtri Mauritii exemplo, et vindicet Deo, convertatqve ad officia pia et cauſas honeſtas, detqve operam adeo, ut et honori ſuo conſulat, et Deo relinqvat, qvae ſunt dedicata Deo: illud deniqve omni ratione atqve ope efficiat, ut verus incorruptusqve Dei cultus inſtauretur, et inſtauratus aeternis legibus ſanciatur, conſerveturqve ad poſteros.

XV. Nolumus eſſe longiores. Qvod fine, idem ratione caret. Vna igitur opera et naturam imitabimur, et nitemur ad operis noſtri metam. Saltem reſtat, ut tradamus de iure Sepulchrorum. Implet vero hic partes ſuas gentium ille conſenſus, ac una mente animoqve ſecuritatem impertitur ſepultis. Iam olim Athenienſes capite plectendos cenſuerunt, qvi graſſarentur in ſepulchra, qvi cadavera effoderent et reliqvias defunctorum. Cambyſi in aeternum probrum ceſsit, qvod vel ſolum Amaſis AEgypti Regis ſepulchrum recluſiſſet. Et Xerxi apertus Beli tumulus aeternam labem aſperſit. Nec ſervavit honorem ſuae gentis Philippus Macedo, cum non tam in homines, qvam in cadavera converſus, ultra belli ius ſaeviret. Effuſa in ſepulchra crudelitas, idem hoſtes ac tumulos exitium involvit, furor deniqve omnia, et ipſas defunctorum imagines conſumpſit. Recitat hiſtoriam Livius, recitatam in compendium redegit Florus Hiſt. Rom. Ep. l. 1. 7. Non allegabo Imperatorum reſcripta, non recenſebo tabulas Auguſtas. Functus hoc officio Io. Kirchmannus eſt, et nomine allegavit, et confirmavit ſanctitatem huius iuris. Placet nobis ponderare momenta rerum, qvatenus morum ambitu comprehenſa. Primo pietas ſanxit legem miſerationis erga mortuos, cum a mortuis nullum periculum ſit, nullus impendeat metus. Neqve prudentia hic indignatur, ut qvae tunc pietati obicem ponat, cum aut iactura metuitur ſecuritatis, aut veſtigia

gia qvaedam extant gliſcentium periculorum, ſi pietati indulgeamus, ſi benignitatem exerceamus. Ira allegari non poteſt, exercenda enim adverſus hoſtes eſt. Mortui autem iure hoſtium contineri amplius non poſſunt, qvia mortui, qvia vitae, qvia vinculo Civili, qvia ipſi deniqve gentium ſocietati erepti. Iniuria eſt, deſtruere id, a qvo vel horror ipſe humanas mentes avertit. Res ſtupenda ſane, nocere iis velle, qvibus noceri non poteſt. Vitam iam tum amiſerunt. Exiſtimationem crudelitas auferre non poteſt. Si terroris inde occaſio qvaeratur, praetextus forte ſpecioſus, facinus certe eſt inhumanum. Suppetunt alia incutiendi terroris inſtrumenta, eoqve non a ſaevitia, omnes humanitatis limites transeunte, repetenda, ad inſtruendam hanc brutae crudelitatis ſcenam. Non licet rem ordiri altius. Saltem admonemus alia ratione gentium illud ius pertinere ad ſepeliendos, alia ad ſepultos. His invidere qvietem impietatis: illis concedere, ut terra atqve pulvere tegantur, receptum voluntate gentium, non inductum ſimplici neceſſitate eſt. Cuius in medio bello documentum. Vicerit Antonium Auguſtus, et vindicaverit mortale imperium. Moderationem ſervabit qvoqve poſt illatam cladem, et petentibus ſpatium ſepeliendi annuet merito. Erga caeſos iam conſummata ultio eſt. Terra igitur obruantur, qvi terram colere non poſſunt. Sed fingas, Auguſtum negare ſepulturam. Progredietur ad ſaevitiam usqve, et ultra bellantium fines. Inſtituet ultionem, ſublata ulciſcendi cauſa. Nam a caeſis non habet, qvod metuat. Inſidiari non poſſunt. Et iam abunde ultionis eſt. Oſtendit rationem humana ratio, et ſvadet natura hanc benignitatem. Seqvuntur id gentes et probant, atqve ſive humanitatem, ſive manſvetudinem erga defunctos interpretantur. Conſtans haec omnium temporum opinio, et ab ultimo aevo ad poſteros propagata. Denuo argumentum in numerato: creditum ſemper inter cultiores eſt, mortem omnium calamitatum eſſe coronidem. Praeterea nil tam rationi naturali contrarium, nil tam hominis erga hominem neceſſitudini adverſum eſt, qvam addere miſeriam afflictis, et mortis calamitatem nova iniuria augere. Terribile ſatis, concidi mucronibus, et tormentis verberari qvasſariqve. Nil intelligi miſerius, nil excogitari formidabilius poteſt.

Siſten-

ſiſtendum ergo intra hos fines, nec inſultandum, ne denuo vindictam de caeſis ſumere videamur. His addo, qvod Grotius, et praeter hunc moderationes ferme omnes monent, nil perinde conveniens eſſe homini, qvam curare hominum ſepulturam: contineriqve hoc officium officio rationi naturali maxime conſentaneo. Praeterea id exigi a dignitate humani corporis, et devorandi metu. Cum non vanus ſubeat timor, feris et avibus ceſſurum inpraedam, qvod terrae non redditur, qvod tumulis infertur. Sed excipienda hic corpora facinoroſorum, praeſertim illorum, qvi poſtulantur perduellionis et convincuntur. His ne qvidem parcitur poſt mortem, ſive ob exemplum, ſive ob foeditatem delicti. Et Veneti iam olim exiſtimarunt, recte in mortuos ſtatui, qvod, dum viverent, merebantur. Siqvis depeculatus rempublicam eſſet, ſi indicia reliqviſſet affectati dominatus, non temperant ſeveritati, et cives deterrent exemplo. Indigna qvippe humanitate, qvi hominum violare ius, qvi Principis exuere obſeqvium ſtuduit. Fundere contra ſangvinem in bello et moliri exitium hoſti, belli conceſſum iure eſt. Sopitur hoſtile odium, ſi caeſus eſt, adverſus qvem iuſta materia odii fuit. Aeqvisſima haec gentium populorumqve ſententia eſt, eoqve ab ultima antiqvitate recepta apud omnes, et ſaniori iudicio rationis innixa. Vnum cupimus, qvod concedatur inſtituto. Vindicavimus antea ſecuritatem ſepulchris, vindicabimus inpoſterum. Fallunt vero, qvi peraeqve exiſtimant de iis, qvae ſepulchris imponuntur. Cedunt Principis, cedunt bellantium poteſtati. Neqve hic dubitandi cauſa, nec difficilis ratio ſcrutantibus ius belli. Cuius reddere initia, et proſeqvi ſingula momenta, nimis forte longum foret. Eligenda vero hic media inter caritatem et crudelitatem via. Nimis indulgere hoſti, non expedit ſemper. Saevire qvoqve execrabile eſt. Cohiberi ergo, furor, retineri ſeveritas, adhiberi prudentia debet. Qvod in hoſtem, idem in res fortunasqve hoſtis, et omnia eius licet. Imagines, tumuli, ſtatuae, monumenta, et lapidum iſtae cinerumqve moles, ac ſepulchrorum ornamenta univerſa revelli poſſunt atqve removeri. Lege qvidem facere prohibentur privati, et poena violatoribus irrogatur. Princeps et ſupra privati ſortem, et belli iure hic ſolutus lege eſt. Non repetam hic veteres ceremonias, qvibus et facere locum religioſum, et ſtabilire ſepulchrornm ius voluerunt. Legi de hoc argumento ſcriptores priſci, legi poſt alios Polydorus Vergilius poteſt. Sufficit nobis omnium conſenſio gentium, qvae et ſanxit mortuis qvietem, et conſtanti uſu approbavit, et adeo tandem apud poſteros convaluit in legem.